

manæ animæ vires ad executionem actus, proximè utiq; cum effectu cohæret, quod de ratione est causæ efficientis proximæ; Porro quoniam æquè latè cum effectu patet hæc causa, sufficiens quoq; & adæqvata rectè censebitur. Quadrant hûc, quæ *Vazquez*. habet *Tom. 1. in 1. 2. S. Thom. Disp. 36. c. 3. n. 14.* *Quoties proxima aliqua caussa ita completa est, ut ei respondeat integrè effectus secundum omnem rationem, frustra addimus, imò neq; addere possemus novam aliquam caussam quæ ad integritatem effectus concurrat.* Subsumit deinde de voluntate, quippe quæ sufficienter intra se ipsam constituatur ad eliciendum actum, sine concursu efficiente intellectiois.

VII. Quâ verò ratione voluntas influxum suum in producendis moralibus actibus præstet, uberiore declaratione egeret, si modò chartarum angustia, & quæ restat, dicendorum copia, id pateretur. Nos supponimus distinctionem actuum voluntatis in *elicitos & imperatosum*, ex quibus *priorum* quidam sunt *circa fines*, ut *voluntas, intentio & fruitio*; quidam verò *circa media* ut *consensus, electio, & usus*: *posteriorum* autè nonnulli proficiscuntur ab *intelligendi potentiâ*, aliqui ab *animâ sensitivâ*, ejusq; cum primis *appetitu ac loco motivâ facultate, quoad actus ejus simpliciter tales.* Ac sicuti actus eliciti à Voluntate proximè, *vitaliter, & immediatè per seipsam* producuntur, & in ipsâ recipiuntur; ita imperati *mediatè* ab ipsâ *vel imperium*, potentiis exequentibus, utut *inequaliter, factum, operâ & ministeriò* earum procedunt, nec à Voluntate recipiuntur. Sed eâ in facultate, à quâ proximè proficiscuntur, manent. Et quoniam Voluntas, quæ una est potentia, duas obtinet facultates, alteram quâ *voluntariè*, alteram quâ *liberè* operatur, utraq; facultas involvitur, quando efficiens moralium actuum statuitur causa. *Prior* quidem propterea quia opus est, ut actus humani ab internò principiò prodeant, & præviâ finis aliquâ cognitione ad actum deducantur. *Posterior* autem, ut indifferentiâ ad agendum & non agendum in iis deprehendatur, in quo ipso *fundamentum moralitatis* vertitur. Nam ab eâ facultate, quâ homo voluntariè agere dicitur, necessitatis modus ne utiquam excluditur, cum tamen actiones nostræ non capiant moralitatis laudem, nisi *liberè* à nobis fiant, altera quoq; facultas requiritur, quâ